

1260, octubre, 30

Ramon Picó, de Fonolleres, ven a Guillem Picó un clos i una feixa de terra situats a Fonolleres i diversos censos, pel preu de sfo sous melgoresos.

ASD núm. 184, còpia de 1380, 310 x 210 mm.

Hoc est translatum fideliter sumptum .XVI. kalendas octubris anno Domini millesimo cec. octuagesimo a quodam instrumento cuius tenor talis est. Sit riotum cunctis quod ego Raimundus Piconi de Ffoniculariis, non ui coactus neque dolo circumuentus, sed bono animo ac spontanea uoluntate et nemine cogente, oh maximam utilitatem meam, per me et per omnes meos et eciam per Alaidem, uxorem meam cuius procurator surn generalis et specialis et cum instrumento publico, uendo et cum hoc presenti instrurriento firmiter omni tempore ualituro liberando trado tibi Guilielmo Picono de eodem loco et cui uel quibus uolueritis dare, uendere, stabilire seu quolibet alio aliquo modo alienare uolueritis in perpetuum totum illum meum clausum integre quodteneo et habeo in parochia Sancti Christofori de Funiculariis, loco uocato Uillarium, et totam illam meam fexiam uocatam de sa Moleria, quam teneo et habeo in eadem parrochia. Item uendo tibi et tuis unam quarteriam de blado censualem quam Guilielmus Primi de Oleastroto mihi donat pro turnis et mediam quarteriam de blado censualem quam Guilielmus Sarraceni de Uleastroto mihi donat annuatim. Ltem uendo tibi et tuis mediam quarteriam de blado censualem quam Uenist de Funiculariis mihi donat annuatim pro turnis. Item uendo tibi et tuis illam mensuram quam accipio et accipere consueui in illas fexias Bernardi Fusterii, quarum una uocatur fexia de Ruyra et altera fexia de Citis, de quibus fexiis accipio de unaquaque unam mensuram, scilicet mensuram cum qua mensurabatur aceuum (sic). Predictum clausum affrontat ah oriente in clauso Adalaidis Russe, a meridie in honore Raimundi Monerii, ah accidente in carraria, a circio in campo Guilielmi de Ulastret. Et predicta fexia afrontat ah oriente in honore mansi Ferrarii, a meridie in honore Adalaidis Russe, et in honore mansi de Ruyra, ah accidente in honore Bemardi Fusterii, a circio in honore Raimundi Eybelini. Ita ut tu et quicumque uelis teneatis predictum clausum et fexiam et predictum bladum et habeatis et possideatis cum exitibus et ingressibus suis et cum omnibus suis pertinentiis et tenedonibus et cum omnibus aliis in eis habentibus eis que qualicumque modo pertinentibus prout melius et comodius dici potest uel intelligi ad tuam tuorumque comodum saluamentum et sanum intellectum, ad omnes tuas tuorumque uoluntates omni tempore faciendas pro libero et francho alodio et sine uinculo alicuius persone, pro qua uendicione fateor me a te recepisse quingentos et decem solidos melgoresenses, de quibus confiteor me a te bene fore paccatum et contentum et in omnibus satisfactum, renunciando excepcioni peccunie non numerate et rei non tradite et omni excepdoni doli. Et si hec uendicio plus ualet precio antedicto totum dono et remito tibi et tuis donacione inter uiuos, renunciando beneficio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti predi subuenitur et omni excepcioni doli et accioni in factum et restitutioni in integrum et omni alli iuri. Et ideo predictum clausum et fexiam et omnia alia predicta de meo meorumque iure et potestate eicio penitus et extraho et in tuum tuorumque et quorumcumque uelis ius, dominium et potestatem libere et quiete penitus transferendo, mittendo ac introducendo te de

presenti cum hoc instrumento in corporalem et uacuum huius rei possessionem pleno iure ad habendum, tenendum et omni tempore possidendum sine omni meo meorumque retentu, quem ibi uel inde non facio in aliquo neque seruo. Et promitto tibi et tuis per me et per omnes meos heredes et successores et etiam ,per predictam Adalaidim uxorem meam totam predictam uendicionem facere habere et tenere et possidere in pace contra cunctam uiuentem personam et pro alodio franco cum omnibus meis lacis, uocibus, racionibus et accionibus realibus et personalibus, utilibus et directis mihi competentibus uel competituris. Et si aliqua uiuens persona in predictis tibi uel tuis aliqua tetigerit, contradixerit, emparauerit, forifecerit, demandauerit, inquietauerit uel questionem aliquam siue demandam contra te uel tuos fecerit siue mouerit, uel ad causam te traxerit, ego uel mei respondebimus pro te et tuis et firmabimus et in causa et extra causam nos ponemus et ante litis contestacionem et ingressum cause in nos honus litigii suscipiemus et agitabimus (sic) causam nostris propriis sumptibus et missionibus et expensis ab inicio usque in finem, aut tu uel tui si uolueritis possitis causam ducere per uos ipsos, uobis inde super hoc eleccione seruata, remittendo tibi uel tuis ex pacto necessitatem denunciacionis et si tu uel tui in propria persona malueritis causam ducere per uos ipsos quod ego et mei teneamur tibi et tuis ex pacto restituere omnes expensas circa litem factas et omnia dampna que te uel tuos oportuerit sustinere uel facere quoquo modo siue obtineatis in causam siue subcumbatis, et quicquid ac quantum a te uel a tuis fuerit euictum, et credaris inde plano uerbo, sine sacramento et testium produccione. Et si forte racione predictorum querimoniam curie te facere oportuerit, ego sine omni tua missione promitto soluere tercium curie et omnes missiones pedatici et omnem iusticiam exinde curie competentem et quod ego et mei teneamur tibi et tuis de euiccione et de omni interesse, et pro hiis omnibus supradictis et singulis tibi et tuis attendendis et complendis obligo tibi et tuis meosque heredes et successores et omnia bona mea mobilia et immobilia seu semouencia presentia et futura generaliter et specialiter ubique et semper. Et si aliquo iure scripto uel non scripto siue excepcione uel occasione aliqua huic uendicioni obuiam ire possem, illi iuri penitus irreuocabiliter renuncio. Et ut hec omnia maiori semper gaudeant firmitate et ut omnis dubitacio inde amoueat, libenti animo iuro per Deum et sancta .nn. eius Euangelia corporaliter tacta hec omnia et singula semper bona et firma habere et tenere et attendere et complere et in omnibus obseruare et nullo tempore contrauenire per me uel per aliquam interpositam personam iure aliquo siue causa.

Actum est hoc .m. kalendas nouembris anno Domini .MCCLX.

Sig + num predicti Raimundi Piconi, qui hoc firmo firmarique rogo. Sig+num Iacobi de Funiculariis, sig+num Guilielmi, clerici. Sig+num Petri Ferrarii, sig+num Petri de Raiadge de eodem loco, · testium.

Guilielmus Bernardi, subdiachonus de Palacioraphano, qui hoc scripsi. Sig+num Guilielmi Bianchi, notarii publici castri de Sancto Acisclo et castri de Oleastro, qui hoc translatum scripsit et clausit et ab originali fideliter comprobauit, die et anno quo supra, et subscripsit.